locissime per ascensionem ad patrem redeat Et est sensus Jubes me predicare
uel vocem meam audire fuge dilecte mi i[d est] impleto mundationis et pas-
sionis tue misterio ducere te celum ut non iam te sicut hominem sed sicut
deum super omnia cogitare incipiam tunc eam audies vocem meam quia tunc
liberius predicabo omni mundo et hoc est quod dominus in ewangelio dicit
Ego veritatem dico vobis expedit vobis ut ego vadam Expediebat
enim apostolis et omni ecclesie ut christus discederet et presenciam corporalem absen-
taret quia dum in corpore presens erat non poterant eum spiritualiter amare
non poterant quem hominem cernebant ut deum incomprehensibilem et ubique presentem
cogitare At postquam celos ascendit cepit eum ecclesia spiritualiter diligere et
sicut deum iam cogitare et predicare et hoc est quod apostolus dicit Et si no-
vimus christum secundum carnem sed nunc iam non novimus eum Ergo dilecte mi
si vis me ita predicare fuge id est recede ad celestia et qui fuisti comprehensibilis
per humanitatem efficere incomprehensibilis per divinitatem Verumtamen
ne me in penitus sine tua visitatione deseras sed dignare me crebra tue vi-
sitationis inchoatione te sepius videndum prebere Et hoc est quod dicit Similis
esto capree hinnuloque cervorum super montes aromatum Sicut namque capree
hinnuli cervorum indomita animalia humanum conspectum refugiunt et tamen
crebrius in montibus videntur sic et tu post tuam ascensionem licet incompre-
hensibilis dignare michi tamen sepius dono gratie tue apparere Et hoc super montes
aromatum Montes enim aromatum sancti dei sunt excellencia sancte
conversationis celo proximi et odore ac fama virtutum longe lateque fra-
grantes Unde et apostolus de se ipsis similibus dicit Nostra conversatio
in celis est Et alibi Christi bonus odor sumus deo in omni loco

Explicit super Cant[ica]
prologus Jer[onimi]

Salemon tribus nominibus fuisse describitur i[d est] salemon / ecclesiastes / ydida Salo-
mon namque interpretatur pacificus / ecclesiastes hebraice / grece vero ecclesiastes
latine concionator Ydida hebraice / latine amabilis domino appella-
tur vero salemo iuxta numerum suorum nominum tria volumina edidit ex quibus
primus liber est proverbiorum / secundus ecclesiastes / tercius vero cantica canticorum In quibus
tribus libris trium generum disciplinam exposuit quibus ad rerum scientiam
pervenitur Prima namque ethica i[d est] moralis / secunda phisica qua qualitatem
nature comprehendit / tercia vero theorica i[d est] contemplativa In proverbiis mora-
lia docens per summam quandam locucionis usitatam auditorem intelligentiam
edidit Conservationem quoque maiorum et doctrine celestis misteriorum fuerunt
expressius brevioribusque sentenciis conceptantur Sunt autem proverbia sub
verbis aliis res alias explicancia vel significancia quam aliud quam dicunt
intelligunt / plus in virtute suam quam in sono verborum In ecclesiasten
vero rerum omnium naturas discuciens cuncta in mundo caduca et vana esse
comprehendit rerumque omnium fragilitatem propterea contemnenda mundo admonuit
In canticis canticorum supergressus visibilia et contemplans ea que
celestia vel divina sub specie sponsi et sponse / christi et ecclesie unitatem
declarat / atque animam ad amorem celestium exortans pervenienda ad
consorcium dei provocat Ideo autem hic liber cantica canticorum intitulatur
eo quod excellit sicut super omnia cantica que in divinis libris continentur

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/Hs-833/0051
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt